

conferit. Sed credo illum solum, et ab aliorum omnino comitatu nudum rem illam et tentasse audacter et perfecisse feliciter. Et ideo ille tantoperè laudatur à sapientiâ, in re videlicet militari, quæ facit, ut qui infirmus est, fortis appareat, et unus multorum hominum vires obtineat. Illam enim occasionem captare potuit homo strenuus et solers, ut octingenti vix instar habeant unus, ut si bene poti ac pasti somno jaceant, vinoque sepulti; si in loco sint angusto, depressoque conclusi, qui facile urgeri possint et opprimi ex superiori loco. Sic videmus in opportuno rerum articulo à paucissimis plurimos esse superatos. Et ex eo quod ex historiis observârat Maro, à duobus fingit interfectos esse plurimos, qui onerati cibo ac potu, profundo fuerant somno soporati l. 9 Æneidos.

Sed occurrit hic impeditus nodus, quem dissolvere non est leve negotium. Nam qui hic occidisse dicitur octingentos, lib. 1 Paral. c. 11, tantum narratur occidisse trecentos. Imò Josephus illius manu in eo congressu nongentos tradit cecidisse. Quid Josephus dixerit, non laboro, quia ipsius fides interdum vehementer laborat. Sed quod à l. 1 Paral. nobis opponitur, non ita faciles habet explicatus. Sic enim ibi de Jesbaam c. 11, v. 11: *Iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos unâ vice.* Propter hunc locum quidam existimant non eundem esse illum de quo in hoc l. 2 Reg., et illum de quo in l. 1 Paral. Quod mihi nunquam probari potuit, tum quia in Hebraico nomine magna est utrobique similitudo, ut jam antea diximus; tum quia tam qui hic, quam qui illic positus est in primo ternario, princeps esse dicitur. Ego duas hic invenio vias aut conciliandi utriusque loci, aut difficultatis exolvendæ. Altera est utrumque præstitisse, non tamen eodem loco ac tempore Jesbaam, et occidisse aliquando octingentos impetu uno, et alio tempore trecentos unâ vice. Illud prius, quia majoris erat bellicæ virtutis argumentum, collatum est in libros Regum, in quibus illustria magis atque præcipua consignantur: posterius autem scriptum est in libris tantum Paralipomenon, qui, ut nomen ipsum præ se fert, et in hoc ipso capite constabit, illa præcipuè refert, quæ in libris Regum prætermittuntur. Ita Abul. in hunc locum Paral. q. 41. Cur verò illa prætermittuntur fuerint, illa videtur esse causa, quia cum ibi sacer historicus commendare voluerit illius tanti viri fortitudinem, cum ab illo traderet

occisos octingentos, non putabat fore necessarium, quidquam addere de minore interfectorum summâ.

Vel certè in utroque loco eandem esse descriptam stragem, et idem omnino esse significatum, non tamen eodem numero atque figurâ verborum. Notum est, magnam aliquam multitudinem atque indefinitam disparibus admodum numeris significari. Sic dicimus, *millies audivi, centies, decies, septies.* Quanta sit inter hos numeros differentia, quis non videt? at est eadem omnino significatio; nihil enim isti dicendi modi aliud sibi volunt, quam sæpè aliquid, et usque ad nauseam ab aliquo fuisse narratum. Illud fortasse utroque loco significatum est; magnam hominum multitudinem ab illo robustorum principe fuisse sublatam, in altero octonario numero, qui perfectus est, in altero ternario, qui etiam multitudinem et frequentiam indicat, significatur. Utraque ratio videtur non inepta, minus mihi displicet prior.

Libet hic ad extremum adjicere id quod de hoc ipso verè omnium fortissimo tradunt Hebræi, ut in eorum Traditionibus in lib. Paralip. referunt Hieronymus, non ut probem, quia jam à meipso supra improbatum est, sed ne quod aliis placuit, neglexisse videar. Jesbaam filius Hachmoni, princeps inter triginta. *Jesbaam* interpretatur, *sedens in populo*; filius Hachmoni, id est, sapientissimus, ipse est David. Hoc est, quod in Reg. scribitur: *Sedit in cathedra sapientissimus*; et minuitur de sapientiâ, quasi vermiculus ligni tenerimus, propter peccatum, quod commisit in Uriam. Et cum in Regum volumine dicat octingentos illum uno impetu interfecisse, propter ipsum peccatum, in Paralipomenon hic dicit trecentos eum interfecisse. Unde et in Regum scribitur, *uno impetu.* Hæc Hieronymus ex Hebræorum sententiâ, qui multa dicunt, quæ levia sunt, neque ullum habent in Scripturâ fundamentum probabile.

Antequam ad enumerandos heroes hosce viros descendamus, qui in Davidis exercitu bellicâ gloriâ floruerunt, observo hos omnes, qui, ut ex versu 59 constat, numero fuerunt 37, in tres esse classes distributos pro singulorum meritis. Prima et secunda classis ternis constant; in tertiâ enumerantur reliqui usque ad 37, qui ad unum pertinent ordinem, licet illi, qui meritis aliis superiores sunt, in numerando priorem in suis ordinibus locum obtineant. In primo itaque ternario fuerunt tres;

de illorum primo satis à nobis dictum est, nunc de secundo.

VERS. 9. — ET POST HUNC ELEAZAR FILIUS PATRI EJUS ANOHITES, INTER TRES FORTES. De hoc, quod ego viderim, nihil habemus ex Scripturâ sacrâ, ex quo aliquid commentatio nostra lucis accipiat. Ubi Vulgatus, *patruj ejus*, Hebr. est, *dodo*, quod nomen proprium esse potest et commune. Ego proprium esse non nego; neque enim aliquis patruj sui filius esse potest; eò tamen magis propendet animus, ut putem reverâ filium esse patruj sui, non tamen verum et proprium, sed adoptivum aut legalem, quia videlicet patruus ille fuit, cujus semen excitavit verus Eleazari pater, qui hujus reverâ pater fuit, quia ab illo genitus, fratri tamen mortuo ascriptus, ne illius periret nomen. Quod cavetur Deut. cap. 25, v. 5: *Quando habitaverint fratres simul, et unius ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Erat itaque è duobus fratribus naturalis filius fratris vivi, id est, parentis sui, legalis verò fratris mortui, id est, patruj. In hunc ego sensum accipio hunc locum, ne discedam à translatione vulgatâ. Alii fermè omnes illud *dodo* nomen esse proprium arbitrantur, quod etiam indicant Septuaginta, qui nomen retinent *Dudi*, cum tamen prius patruj sui appellasset filium. Tenet apertè Josephus. Quorum ego non improbo sententiam; probo tamen priorem, quia et ipsa difficilis non est, et magis cum vulgatâ translatione consentit.

QUANDO EXPROBRAVERUNT PHILISTINI, ET CONGREGATI SUNT ILLUC IN PRÆLIUM. Quando hæc acciderint, neque divinare quidem possum, quia hujus rei in nullo præliorum, quæ adversus Philistæos gesta sunt à Davide, vestigium invenio. In lib. 1 Paralip. c. 11, v. 15, nomen additur loci, qui appellatur *Phesdomin*, et dicitur ibi ager regionis esse plenus hordei, maturi videlicet ad messem, ubi indicatur tempus, sicut etiam dotatus fuerat locus. Sed nobis, qui illorum præliorum obscuram habemus cognitionem, quia minuta quædam et levia nunquam sacer prætermittit historicus, videtur aliquod fuisse illorum præliorum, quæ supra, cap. 21, commemorantur. Fuerunt autem quatuor, in quorum ultimo credo contigisse hoc Eleazari factum egregium. Quod ideo mihi persuadeo, quia in eo quarto bello

exprobrasse dicuntur Philistini, nempe Dei populo, et ipsi etiam Deo. Sic enim illo cap. 21, v. 21, de viro giganteæ molis: *Et blasphemavit Israel.* In quibus quatuor bellis cum multa acciderint præclara, ut verisimile est, nihil tamen ibi legimus aliud quam totidem gigantes ibi servorum Davidis manibus cecidisse.

VERS. 10. — CUMQUE ASCENDISSENT VIRI ISRAEL, IPSE STETIT, ET PERCUSSIT PHILISTÆOS, DONEC DEFICERET MANUS EJUS, ET OBRIGESCERET CUM GLADIO. *Ascendere*, hoc loco idem esse puto quòd *fugere*. Quod satis indicatur lib. 1 Paralip., ubi v. 13, legimus: *Fugeratque populus à facie Philistinorum.* Fuit autem opus planè admirabile, conversum esse in fugam vincientium exercitum, quem populus tantus sustinere non poterat, et eodem tempore fractos fuisse animos inimicorum, et confirmatos illos quibus jam videbantur et fractæ vires et spiritus abjecti; nam statim dicitur revocatos fuisse à fugâ eos qui in fugâ salutis sibi præsidium collocarant, et spolia cepisse ex debellato ac fuso inimicorum exercitu.

Sed hic observandum, non stetisse hunc Eleazarum solum in acie et hostiles sustinuisse atque fugasse acies. Nam cum illo stetit etiam aut Jesbaam, qui in hoc ternario numeratur primus, aut, quod potius reor, Semma, de quo statim. Quod apertè colligitur ex lib. 1 Paralip. cap. 11; nam cum dixisset bellum illud, in quo mira apparuit Eleazari fortitudo, commissum fuisse in agro, statim additur: *Hi steterunt in medio agri, et defenderunt eum. Cumque percussissent Philistæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo.* Et quidem si hoc tantum facinus solus edidisset Eleazar, non erat cur illi præponeretur Jesbaam, cum factum istud egregium multò fuerit superiore præclarior.

DONEC DEFICERET MANUS EJUS, ET OBRIGESCERET CUM GLADIO. Experimur quotidie ex magno aliquo, longoque labore obrigescere manus, atque ita stupere et contrahi, ut nec laxari possint nervi aut explicari digiti. Vatablus hic spasmus agnoscit, alii lassitudinem. Josephus lib. 7, cap. 10, aliquid affirmat satis, opinor, alienum à rerum naturâ: ait enim congressum esse Eleazarum cum hostibus, et ex illis eam occidisse multitudinem, ut illorum sanguine manus adglutinaretur gladio. Scio textum Hebraicum, et Septuaginta translationem, et recentiores alias dicere capulo adhæsisse manum; hoc tamen fecit aut spasmus, aut

stupor, qui contractos digitos cum capulo constrinxit; non sanguis, cujus ea vis non est, ut manum imbutam alieno errore diverso corpori adglutinare queat.

VERS. 11.—ET POST HUNC SEMMA FILIUS AGE (1). Idem penè quòd Eleazar præstitit in agro hordei pleno, fecit Semma in agro pleno lentis. Ille tamen ideò fortasse priori loco ponitur quia aut plures inimicos occidit, aut plurium sustinuit impetum, aut rem peregit breviter magis et alacriter, aut aliquid tandem in ejus victoria observatum est, quod hominem majori nobilitavit gloria. Hic in lib. 1 Paralip. omissus est, nisi dicamus hunc simul cum Eleazaro stetisse in agro et Palæstinòs hostes, et gravi affectis plagâ, et in fugam denique convertisse. Cui cogitationi favet, quòd uterque rem gessisse dicitur in agro pleno, alter hordeo, alter lente. In hoc aut illò semine non multum moror, quia utroque semine ager ille satus esse potuit, aut ex utroque in aream comportata messis, ut docent Cajetanus et Hugo, et Vatablus ad hunc locum Paralipomenon. Neque sine causâ dicitur in lib. Paralip. in numero multitudinis: *Hi steterunt in medio agri, et defenderunt eum*. Et facit ad hoc quòd Semma defendissè quoque traditur agrum lente plenum. Et in hanc ego cogitationem maxime propendeo, quam tenent Lyra, Hugo. Neque in eâ video aliquid esse distortum.

VERS. 12.—STETIT ILLE IN MEDIO AGRI, ET TUTUS EST EUM. Hoc est, quòd supra dicebamus, cum sermo esset de Semma, qui ad defendendum agrum simul stetit cum Eleazaro. Veniebant sæpè vicini hostes ad aliorum fines, et illorum sternebant et populabantur agros, sive conculcando illos, cum seges esset in herbâ, aut quando jam esset matura, falci ignem injiciendo, quem concipiebat facilè arida materies. Sanè id fecerunt olim Madianitæ infensi vehementer Hebræorum homini, Judic. cap. 6, v. 4: *Qui apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant, usque ad introitum Gazæ, nihilque omninò ad vitam pertinens relinquebant in Israel*. Cum ergo fugæ se dedissent Israelitæ, neque haberent Palæstini in quos antiquum et penè naturale odium evomerent,

(1) CONGREGATI SUNT PHILISTHIM IN STATIONE: Hebræus: *Collecti sunt Philisthim ad Chaiah*; vel, *ad bestiam*, vel potius, *ad locum appellatum Lechi, vel ad Maxillam*. Ibi Samson mandibulâ asini pro gladio usus Philisthæos cecidit. Vertunt nonnulli: *Collecti sunt in villa*. Syriacus et Arabs: *Collecti sunt ad fugandas belluas silvestres*. Equissima omnium videtur interpretatio: *Ad Maxillam*. (Calmet.)

in illorum agrum lentis et hordei plenum converterunt impetum, sive incendendo aridam materiam, sive virentem adhuc conculcando. Tunc autem sese duo maximi Israelitici generis heroes opposuerunt usque adeò felici conatu, ut conciderent exultantes hostes, et populo à fugâ revocato spoliandos traderint.

VERS. 13.—NECNON ET ANTE DESCENDERANT TRES, QUI ERANT PRINCIPES INTER TRIGINTA. Hic dubitant interpretes, quinam hi tres fuerint, qui ex cisternâ Bethlehem aquam attulerunt; et quidam illos tres esse putant, quorum proximè nomen audivimus. Ita tenet Josephus lib. 1, cap. 10, Vatablus et Mariana. Et favet quòd illud, *descenderant*, non benè convenit in eos, qui sequuntur, quia tempus est plusquam perfectum; optimè verò in illos, qui præcessere proximè. Quasi dicas: Ante illa præclara, et verè heroica facinora, quæ illorum trium quilibet seorsum patravit, jam omnes simul aliud gessissè planè mirabile, cum per media inimicorum castra aditum sibi aperuerunt ad cisternam Bethlehem, ut inde ad regis votum aquam haurirent.

Verumtamen alii frequentes præclarum hoc opus tribus qui statim succedunt, attribuunt. Abulensis, Cajetanus, Hugo, Historia Scholastica, et ita etiam opinantur Hebræi, ut in eorum Traditionibus refert ad hoc caput Hieronymus. Neque illud, *descenderant*, quidquam incommodat communi sententiæ. Aut enim quæ tres superiores fecerunt, in posteriori bello contingere, ex illis duobus quæ gessit David contra Philistæos cap. 5, aut in quatuor aliis, de quibus proximè cap. 2, et quæ tres isti, priori, in quo David descendisse traditur in præsidium, id est, in speluncam Odollam. Quando ergo alii virtutis suæ ediderunt documenta præclara, jam isti ex cisternâ aquam ad Davidem attulerant. Aut certè, quia sicut præteritum perfectum sæpè pro plusquam perfecto ponitur, sic etiam plusquam perfectum non rarò pro perfecto sumitur. Cujus ea est ratio, quia in Hebræo pro utroque tempore una tantum terminatio est. Neque est improbable istos tres esse de illorum numero, qui lib. 1, cap. 22, venerunt ad David, cum esset in speluncâ Odollam, quo tempore fugiebat Saïlem; et de illo tempore hunc esse sermonem. Quasi dicat, illos, qui ad Davidis votum aquam attulerunt è cisternâ, jam antè cum illo, cum res esset angustior, simul vixisse. Porrò quatuor centum homines eo tempore convenisse ad Davidem,

et eidem fidelem operam præstitisse, constat ex lib. 1, cap. 22, è quorum numero fuit Abisai unus eorum, qui ad cisternam Bethlehem per media inimicorum castra penetrarunt. Sed de hac re statim pluribus, ubi hæc posteriora minùs probabuntur.

Hi porrò inter triginta dicuntur esse principes, non quia illi ex illo fuerint tricenario numero, sed quia illis triginta viris fuerunt fortiores. Ut enim ad trium priorum gradum non ascenderunt, sic neque æquales habuerunt sibi triginta alios, qui deinde numerantur. Neque illud, *inter*, quod tres illos viros in tricenario numero includere videtur, admodum incommodat; notum est enim particulam *min*, seu litteram \square *mem*, pro quâ Vulgatus hoc loco, *inter* supposuit, et lib. 1 Paralip. cap. 11, *de*, excelsum significare tam in comparativo, quàm in superlativo gradu. Quare ubi hæc reperitur particula, non necesse est, ut qui excedit, eodem includatur numero atque ordine, quo alii, quibus præstat: idem enim valet quòd *præ*, quod hoster interpretè aliquando reddit, *de*, *præ*, *à*, *ab*, *ex*, sicut etiam nunc *inter*. Exemplorum satis est in Scripturâ; pauca ex multis accipe. Osee cap. 10: *Ex diebus Gabaa peccavit Israel*, id est, gravius quàm peccarunt Gabaitæ; *dies enim eo loco ponitur pro peccatis, quæ diebus illis patrata sunt in Gabaa*. Vide quæ nos ad illum locum, et Ezech. cap. 16, v. 52: *Vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratius agens ab eis*, id est, præ eis. Psal. 157: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, supra quàm ego illam assequi perscrutando queam. Juxta hæc illud, *inter triginta*, aut ut habemus in Paral. *de triginta*, pro quo Hebræicè est *mehaselosim*, sic explico, *præ triginta* id est, fortiores sunt illis triginta qui statim numerantur.

Sed antequàm hinc emergo, observo post hos tres viros in hoc capite numerari triginta unum, et in lib. Paralip. multò plures. Sed nihil est incommodi; nam Scripturæ mos est, ut minores et imperfecti numeri ex numero perfecto ac pleno succidantur. Quo modo cap. 2, supra v. 11, David regnasse dicitur in Hebron septem annos et menses sex; et tamen lib. 3, cap. 2, v. 11, decisus ex eo numero sex mensibus, septem annos regnasse traditur. Quòd plures in Paralipomenon numerantur, ea ratio est, quæ nobis sæpius erit adducenda necessariò, quia in eo libro, ut nomen ipsum præ se fert, illa adduntur, quæ in libris Regum videbantur omnia; fuerunt quidem viri triginta

fortissimi, quorum in hoc libro nomina legimus; sed fuerunt etiam plures alii, virtute, reque militari præstantes, quorum nomina in illius temporis annales relata fuerant, qui, cum prius in historiâ Regum forent omissi, in libro postea Paralipomenon relati sunt.

ET VENERANT TEMPORE MESSIS AD DAVID IN SPELUNCAM ODOLLAM, ET CASTRA PHILISTINORUM ERANT POSITA IN VALLE GIGANTUM. Quodnam fuerit hoc bellum, incertum est, cum tantum illius in Scripturâ sacrâ nomen occurrat, cum virorum fortium textitur catalogus. Quis locus fuerit, ubi hoc accidit trium virorum facinus egregium, obscurum est. Constat lib. 1 Reg. cap. 22, Davidem in speluncâ Odollam aliquandiu fuisse commoratum. Quòd verò hoc tempore in illâ speluncâ non fuerit, satis videtur esse verisimile. Neque enim locus, ubi erat spelunca, accommodatus erat ad explicandas acies, neque tunc eo in statu erat David, ut speluncam eligeret illam, quæ non tam erat apta fortium virorum statio, quàm miserorum et fugitivorum diverticulum. Ita putat Abulensis q. 15, et apertè Josephus lib. 7, c. 19, qui dicit, quo tempore accidit, quòd hic audimus de cisternâ Bethlehem, Davidem fuisse Jerosolymæ.

Verumtamen plerique eò inclinant, ut putent ad speluncam Odollam tunc temporis constitisse Davidem, et inde per medios hostes à tribus viris ferro apertam esse viam ad cisternam Bethlehem. Et quidem textus in aliam explicationem nisi admodum invitus trahi non potest. In quam sententiam ideò magis inclino, quia non videtur Odollam à valle Gigantum separari posse, quæ vallis etiam vocatur Raphaim, ut habes lib. 1 Paralip. c. 11. Quo loco, ut ex c. 5 liquet, David duo cum Palæstinis commisit secunda bella; quæ deinceps, quia ibi fugati sunt, atque dispersi Palæstini, ab eventu appellari cœpit Baalpharasim. Ibi autem auditur præsidii nomen, sicut etiam tam hoc loco, quàm lib. 1 Paralip.: *Et David erat in præsidio*. Sicut etiam lib. 2 Reg. c. 5, v. 17, ubi David descendisse dicitur in præsidium, cum Philistini essent diffusi in valle Raphaim. Porrò speluncam Odollam vocatam esse præsidium, habemus ex l. 1 Reg. c. 22, ubi v. 4 et 5, spelunca Odollam per antonomasiam, opinor, appellatur præsidium. *Dicitque Gad propheta ad David (cum esset in speluncâ Odollam): Noli manere in præsidio, proficiscere, et vade in terram Juda*.

Ex his ego conjectare posse videor, hoc bel-

lum, in quo aquam ex cisternâ Bethlehem desiderasse dicitur David, fuisse primum quod cum Palæstinis iniit David, cum primum Jebusæis abstulit Jerosolymam, et in eâ construxit arcem Sion, quam ex suo nomine civitatem appellavit Davidis. Tunc enim diffusi sunt Palæstini in valle Raphaim, quibus egressus è Jerosolymâ occurrit David, et utpote magis opportunum locum, elegit stationem, quæ vulgò *præsidium* dicebatur, lib. 1 Reg. c. 5, v. 17: *Ascenderunt universi Philistim, ut quærent David; quod cum audiisset David, descendit in præsidium; Philistim autem venientes diffusi sunt in valle Raphaim.* Vide quid nos supra ad illum locum.

Cur vallis illa vocata fuerit Baalpharasim, jam proximè diximus, quia nempe fugati atque dispersi fuere Palæstini. Cur verò prius appellata fuerit vallis Gigantum Latinè, et, quod idem est, Hebraicè vallis Raphaim, nihil dici potest nisi divinando. Fortasse ibi aut perierunt, aut aliquid egerunt egregium viri fortes, qui etiam dicuntur gigantes, vel Raphaim; quo modo lib. 2 Reg. c. 2, v. 16, locus ille, ubi duodecim ex parte David, ut multi putant, et totidem ex parte Isboseth congressi perierunt, appellatus est ager robustorum. Sed hujus aut belli, aut nominis nullum ex Scripturâ sacrâ vestigium habemus.

VERS. 14. — PORRÒ STATIO PHILISTINORUM TUNC ERAT IN BETHLEHEM. Sicut tempore Saülis quædam erat Palæstinorum statio in Gabaa, donec illam Jonathas, postquam ibi diu inveterarât, expulit, de quâ nos pluribus lib. 1 Reg. cap. 13, v. 5, sic puto Philistinos stationem habuisse in Bethlehem, id est, stativa castra, aut præsidarios milites, qui subjectum populum in fide atque officio continerent. Vide quæ nos supra de statione Philistinorum in Gabaa, et eadem in hunc transcribe locum, quia non minùs hic sunt, quàm illic opportuna. Ex quo eam discere Bethlehem tunc temporis esse in Palæstinorum potestate; ab eo fortasse tempore, quo in montibus Gelboe cecidit Saül, et fortes Israel. Neque ab eo tempore licuit Davidi patriam suam à Palæstinorum dominatu vindicare, cum nondum esset omnino regni compos, et domesticis adhuc implicaretur bellis. Quare cum aquam desiderabat è cisternâ Bethlehem, id scilicet optabat, ut sibi cisternæ illius commoditate, quasi pacifico domino liceret frui. Quæ cogitatio mihi valde probatur.

VERS. 15. — DESIDERAVIT ERGO DAVID, ET AIT: O SI QUIS MIHI DARET POTUM AQUÆ DE CISTERNA,

QUÆ EST IN BETHLEHEM JUXTA PORTAM (1)! Spectabat, credo, David natale solum ex præsidio, quod erat ad speluncam Odollam; quod situm erat juxta speluncam, si quid erat ibi manu factum, quod speluncæ, id est, comparato ab ipsâ naturâ præsidio, aliquid afferret firmitatis

(1) *David étant pressé de la soif, dit: Oh! si quelqu'un me donnait à boire de l'eau de la citerne qui est à Bethléhem! Aussitôt ces trois vaillants hommes passèrent au travers du camp des Philistins, allèrent puiser de cette eau, et la lui apportèrent. Mais David n'en voulut point boire.* Il y a des actions qui sont petites en elles-mêmes, et qui sont néanmoins sans comparaison plus estimables que celles qui ont le plus d'éclat aux yeux des hommes. Celle que fait ici David est de ce nombre. Il ne s'agit point de s'exposer à un grand péril, ni de gagner une bataille. Il ne s'agit que d'un verre d'eau, qu'il désire quand il a soif, et qu'il refuse lorsqu'on le lui présente. Mais les circonstances qui accompagnent cette action la rendent très-digne de l'estime de tous les sages.

David apparemment avait fait ce souhait comme on en fait quelquefois, sans s'imaginer qu'il dût avoir aucune suite. Mais la prompte obéissance de ses gens fait voir que les desirs des princes passent pour des commandements dans l'esprit de ceux qui ont un grand respect et une affection sincère pour leur personne. Il fut surpris lorsqu'on lui présenta cette eau, et quand il eut considéré, dit saint Ambroise, à quel prix elle avait été achetée, il considéra plus le péril des siens que le besoin qu'il ressentait, et sa bonté lui fit oublier sa soif. Il crut, que comme elle était le fruit d'une magnanimité si extraordinaire, il en devait faire un sacrifice à Dieu: *Ut quæ erat virtutis insigne, fieret sacrificium pietatis.* Il apprit ainsi aux rois, ajoute le même père, à ne pas aimer qu'on leur procure des satisfactions qui coûtent si cher, et à prendre plaisir de ménager le sang et la vie de leurs sujets. Théodoret remarque avec raison que l'état d'oppression et d'accablement où David était alors par la violence de Saül, a pu contribuer beaucoup à lui inspirer une modération si digne de sa vertu. Car on ne peut voir sans étonnement et sans douleur combien il est devenu dissemblable à lui-même, lorsqu'il a passé du comble de la misère au plus haut point de la grandeur, quoiqu'il n'y ait été élevé qu'en suivant exactement les ordres du ciel. Il refuse pendant son malheur de boire de l'eau, parce que ses gens n'ont pu la lui apporter sans s'exposer à la mort; et lorsqu'il est roi, il ne craint pas de ravir l'honneur et la vie à l'un de ceux qui sont nommés ici par le Saint-Esprit entre les plus vaillants hommes de son armée. Ceci nous fait voir que ce n'est pas un bonheur selon Dieu que d'être élevé au-dessus de tous les autres; que les grandes fautes suivent de près la grande puissance; et que la vertu la plus pure aurait bien de la peine à se conserver sur le trône, quand ce serait Dieu même qui l'y aurait fait monter.

(Sacy.)

et commodi. Cùmque meminisset in portâ civitatis, in quâ de more gentis Israelitidis maximum esse solet urbium munimentum, et quam tunc obtinebat Philistinorum statio, cisternam esse, ex quâ ipse diu, ac sæpè biberat adolescens; desiderio tùm patriæ, quam videbat occupatam ab hoste, tùm aquæ, cujus tunc aut laborabat inopiâ, aut suavitate capiebatur, dixit: *O! si quis mihi daret*, etc. Hic nobis, quando locus iste celebris est, et ab aliis sæpè variè versatus, explorandum est, quid hic tantoperè desideraverit David, quam sitim hæc verba præ se ferant.

Neque hic laboro, quid hoc loco somniarint Hebræi, qui ut aliquid dicant populare et ad plausum, nihil non audent, etiam Scripturæ sacræ contrarium. Illi enim dicunt, ut refert Abulensis q. 22, non misisse David ad aquam illam fortes de præsidio, imò neque desiderasse aquam, sed misisse viros, qui sapientes consulerent, qui tunc erant in Bethlehem, quorum nota tunc erat et celebrata sapientia, et ab illis discerent, an David comburere posset segetem Israelitarum, ut etiam cremaret, et perderet Philistinos, qui in illâ latentes Hebræis securis et incautis insidias instruerent. Et addunt responsum esse à sapientibus Bethlehem, id salvâ religione fieri non posse. Hæc illorum cogitatio. At ratio melior, quæ illos in hanc sententiam adduxit. Audierant enim quòd Semma agrum plenum lente aut hordeo à Philistinorum manu defendisset. Neque magis placet quod ex Hebræorum sententiâ in Traditionibus ad lib. 1 Paralip. cap. 11, refert Hieronymus, nempe non optasse Davidem aquam de cisternâ Bethlehem, sed voluisse experiri, eequid esset in militibus audaciæ ac fidei ad præstandum si quid esset ad regis votum, aut ex usu reipublicæ; atque ideò postea libasse Domino aquam in gratiarum actionem, quòd viros usque adeò strenuos Israeli concesserit; hæc ita sunt levia, ut nullâ indigeant confutatione, cum suâ se improbabilitate ac levitate jugulent.

Duæ sunt explicationes aliæ, quæ plus habent fundamenti ac fidei. Altera est communis, quæ verè hic in Davide aquæ ex cisternâ illâ desiderium agnoscit; neminem nomino, ne omnes fermè nominem interpretes, et quotquot hujus Davidis sitis, et trium virorum audaciæ meminerunt. Neque leve est argumentum, quia hoc ipsum intellexerunt tres illi viri, qui ut regis voto satisfacerent, aquam per media Palæstinorum castra, et mille se-

quentia tela quæsierunt, hauseruntque ex cisternâ, et ad suum denique regem detulerunt. Adde, quod nonnulli putant, in Davide molle hoc fuisse atque muliebri desiderium; atque ideò Davidi in verbo, *desideravit*, genus datum esse femineum. Neque enim ibi est terminatio masculina *vatecah*, sed feminea *vatecal*, quasi in hoc appetitu, qualis esse solet in prægnante feminâ, muliebri potiùs ostenderit, quàm virile pectus. Quale prorsus non esset, si in re usque adeò periculosa et arduâ experiri vellet suorum ad quemcumque conatum robur et audaciam. Josephus, à quo sumpserunt alii, hanc Davidis sitim in hunc modum exponit: *Dixit, inquit, ad suos David: O quam bonam aquam habemus in patriâ meâ, maxime in cisternâ, portæ vicinâ! O si quis eam mihi afferret! id certè mallet, quàm multum argenti accipere.* Hæc Josephus, qui in eo peccat, quòd tunc Davidem fuisse testatur Jerosolymæ. Cui ex nostris nonnulli subscribunt. Quod planè verum non est, cum id accidisse constet, ut paulò antè probavimus, ad speluncam, seu præsidium Odollam. Rab. David dicit habuisse Davidem in castris aquam non puram ac faciliè poculentam, atque ideò aquam optasse meliorem ex cisternâ Bethlehem. Sed nimis delicatum Rabbini iste facit Davidem, qui aquam appetat illimem et dulcem, cum alii limosam bibant, et graviter olentem, quasi David non esset, dum pastoritiam vitam ageret, et dum sylvas incoleret ab hominum convictu profugus, aquis assuetus cœnosis et obviis, maxime cum hoc prælium accideret sub ipsa Israelitici dominatûs exordia, quando vix libarât regiæ mensæ, fortunæque delicias.

Hæc sententiâ plurimum valet patronorum auctoritate et pondere; cui etiam favet modus ipse loquendi, qui cisternam sonat et aquam Bethlehemicam, quæ etiamsi non esset aliis pluvialibus aquis purior et suavior, eo tamen nomine Davidi gratior esse potuit, quòd illi è primis annis assuevisset, et quòd in natali solo, quod mirâ indigenas afficit suavitate. Notum est, et proverbiale studium hominum, et amor in patriam, et quàm illa placeant, quibus à primis annis assuevimus; ut cœli temperies, in quâ nati sumus, et aura quam ab incunabulis haurire cœpimus, plurimum juvant corporis valetudinem, quam interdum jam deficientem instaurant: sic etiam alimenta, aut pocula, quæ à principio gustavimus, licet sylvestria et rustica, et palatum mulcent, et sto-